



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina


Pirhing, Ehrenreich

Dilingae, Anno M.DC.LXXXX.

Sectio III. De professione religiosa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61687](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61687)

juxta præscriptum Tridentini factam irrevocabilem quidem esse, validam tamen non fore, si professio, & quidem valida, non sequatur, & consequenter si moriatur talis novitius ante professionem; vel si professionem quidem faciat, hæc tamen ob defectum aliquem invalida sit, vel si facta quidem legitime renuntiatione, ante professionem tamen ad sæculum ex religione egrediatur, nulla erit facta renuntiatio, sed bona taliter renuntiata, vel ad novitium egredientem redibunt, vel ad hæredes ab intestato in casu mortui ante professionem validam novitij pervenient: expresse enim Tridentinum ad validam talem renuntiationem requirit, professionem esse secutam, ut libertati novitij, quam habet ad egrediendum, usque dum fecit professionem, sit semper consultum (neque tamen sua probabilitas illi etiam sententiæ negari potest, quæ vult validam fore renuntiationem, si post eam legitime factam, ante professionem talem emissam moriatur novitius, cum in tali casu libertati novitij nihil adimatur, sed potius animæ illius bono, per piam talem dispositionem factam, consulatur. Quod autem irrevocabilis hæc sit (si velit tamen hic in religione permanere) ex eo probatur, quod donationes conditionales, qualis hæc est, dependens à conditione futuræ professionis, pendente conditione sint irrevocabiles, ne spes sua alteri adimatur, si conditio postmodum impleatur.



SECTIO III.

De Professione religiosa.

I.

Quid sit Professio religiosa, & quoruplex.

Religiosa Professio generaliter, & latè loquendo, rectè dicitur, *contractus religiosus* & sacer, per quem homo voluntarie se tradit Deo, in religione approbata, quoad certum modum, & institutum vivendi, & quidem editis tribus votis paupertatis, castitatis, & obedientie, idque interveniente Prælati regularis acceptione, qui dictam traditionem nomine Dei acceptat. Strictè verò dicta Professio est illa, quæ fit dicto modo, per vota tamen solemnia, omnia absoluta & irrevocabiliter ex utraque parte: & hæc professio duplex esse potest, expressa una, quæ fit verbo, vel scripto, vel utroque modo, tacita altera, quæ fit sine voce, & scriptura, unum aliquem, vel plures etiam actus, professorum proprios, exercendo.

§. II.

Qua forma, seu modo Professio expressa fieri possit aut debeat.

Fieri eam posse, non tantum verbis, prout regulariter fit, aut scriptura, sed alijs etiam nutibus & signis externis, traditionem personæ profitemis, & vicissim acceptionem religionis significantibus

cantibus (si de jure communi loquamur) certum est, prout sumitur ex *c. porrectum* 13. h. t. & ex communibus principiis de contractibus, quibus nulla jura, quoad professionem religiosam, contraria sunt, quæ enim ad professionem scripturam requirunt, requirunt hanc, non tam, ut valida sit professio, quam ut authenticè de ea constet, & probari efficaciter ea possit: ob quam causam etiam coram testibus communiter ea fieri solet, & per verba à regula, aut ab ordine præscripta, vel consueta, ita ut valida ea sit futura, etiam si tria substantialia vota religionis in tali formula non exprimantur, cum in eo, quod exprimitur, juxta religionis talis mentem alia contineantur, quæ sicuti potest sub uno expresso comprehendere alia, ita potest etiam ad valorem professionis certas quasdam requirere circumstantias, sine quibus nulla in tali religione erit professio, cum ea quæ modò diximus, tantum de jure communi intelligenda sint.

Potest autem professio expressa etiam fieri per procuratorem (nisi ordinis regula contrarium statuatur) cum nullibi de jure communi reperiatur excepta religiosa professio, quod minus per procuratorem fieri possit, modò procurator talis speciale mandatum habeat ad profitendum, & quidem in determinata religione, loco principalis, ad cavendas multas inconvenientias, & per se ipsum talis Procurator, principalis sui nomine professionem hanc faciat (nisi specialiter ipsi concessum esset substituere) cum in tali casu videatur electa industria personæ, ac eo tempore, quo facit professionem Procurator, hujus potestas non

fuerit revocata (casu enim quo revocata fuisset hæc procuratoris potestas à principali, principalis hujus consensus non haberetur, quando fit professio, quod fieri non potest) neque gravi metu constitutio procuratoris sit extorta, cum non minus constitutio talis taliter extorta nulla esset, quam esset ipsa professio tali metu extorta.

Et quamvis etiam fieri possit expressa professio, sub conditione, tam de præsententi, & præterito, quam de futuro, ita ut prius valida non sit professio, quam conditio evenierit, & hac eveniente valida sit futura, modò suum consensum non revocaverit, ante conditionis eventum, qui sub conditione taliter professus est; attendi tamen debet, ut conditio adjecta contraria non sit statui religioso, quem quis sub conditione proficitur, prout in simili de matrimonio canonicali constituitur, à quo ad professionem religiosam, tanquam matrimonium spirituale, ducitur paritas.

§. III.

Quibus modis fieri possit professio tacita religionis?

TRes communiter modi referuntur, quibus de jure antiquo decretalium fieri poterat tacita professio. 1. est, si quis sciens, & sponte habitum proprium professorum, patenter distinctum ab habitu novitorum, suscepit, & per triduum ante annum novitiatus absolutum, post pubertatis annos acquisitos portavit, sive intra, sive extra monasterium cum licentia Prælati, & sub ejus obedientia *c. ad nostram* 8. h. t. & *c. Is qui eodem in 6.* tridui scilicet gestationem

D d d d 2

nein

nem requirente jure, si nondum annum novitiatus absolverit ad intentionem deferentis colligendam, quo scilicet animo habitum proprium professorum assumpserit. Secundus modus est, si quis anno integro, eoque continuo habitum religionis portavit, in quo nulla patens, seu manifesta distinctio est inter professorum, & novitiorum habitum, prout colligitur ex c. ex parte 22. h. t. & c. 1. §. quod si eodem in 6. & Clement. eos qui. 2. eodem. præsumente scilicet jure tacite hanc professionem, contra quam protestatus nunquam fuit, dum habitum illum gestavit. Tertius denique modus est, si quis habitum professionis gesserit, & in eo actum professorum proprium exerceat, prout sumitur ex c. vidua 4. h. t. si tamen fiat auctoritate, & consensu illius scientis, & patientis ea fieri, qui potest ad professionem admittere; & exercens actum talem sponte eum exerceat, ac cum proposito positivo per actum talem, quem scit de jure communi, aut ex statuto ordinis solis professis competere, & ad tacitam professionem sufficere, profitendi: & ejus denique ætatis sit, quæ requiritur ad validam professionem, annumque novitiatus compleverit prout requirit de jure novo Tridentinum, quod quamvis professiones tacitas non sustulerit, validæ tamen illæ non sunt post hoc Concilium, nisi annum novitiatus compleverit aliquis, quod de jure antiquo non requirebatur.



§. IV.

De conditionibus requisitis ad legitimam professionem.

Primo requiritur legitima ætas, annus scilicet decimus sextus expletus (de jure Tridentini, quod hodie observari debet) ita ut ante hunc annum expletum nulla professio, sive in virorum, sive in mulierum religione emissæ, sive tacita, sive expressa sit, valeat) prout statuit Tridentinum sess. 25. c. 15. de regular. neque malitia suppleat defectum ætatis, prout in matrimonio carnali fieri posse ex c. De illis. 9. & c. finalis de spons. impub. patet, quin imò ex peculiaribus ordinum statutis major etiam nonnunquam ætas ad validam professionem requiri potest, cum Tridentinum non prohibeat majorem ætatem requiri, sed velit tantum ante decimum sextum ætatis annum expletum, professionem non fieri.

Secundo requiritur, ut spontaneæ seu liberæ voluntate sit emissæ cap. 1. h. t. ita ut nulla sit professio (saltem jure Ecclesiastico) quæ ex coactione, seu metu gravi, cadente in virum constantem, injustè ad extorquendam professionem incusso, extorta fuit (merito enim major libertas requiritur ad immutabilem statum arripiendum, & quamvis pro libertate sufficiente sit præsumptio, nisi contrarium probet, qui metum talem, aut coactionem præterdit, potest tamen etiam monasterium v. g. probationes suas proferre, quibus probet spontaneam v. g. non fuisse professionem.

Tertio requiritur, ut acceptetur ea nomine religionis, expressè, vel tacitè, ab aliquo

aliquo habente potestatem incorporandi religioni, prout colligitur ex *c. porreclum* 13. & ex *c. ad Apostolicam* 16. h. t. quia professio est contractus onerosus, & reciprocus ultro citroque obligans.

Quartò requiritur, ut licitè fiat professio, sui juris esse profitentem, & nulli alteri obligatione aliquà esse obstrictum, ratione cujus impediatur ab emitenda, sine consensu hujus professione, de quo requisito mox plura.

§. V.

*De illis, qui prohibentur ingredi religionem, vel in illa professionem emitte-
re, propter obligationem, qua alij
sunt obstricti.*

Primò non possunt transire ad religionem, ac in ea profiteri, derelicto suo Episcopatu, Episcopi, si Ecclesiæ sint alicui alligati, & confirmati fuerunt, sine licentia Summi Pontificis, cum suæ Ecclesiæ non minùs spiritali conjugio alligatus sit, quàm qui carnali conjugio suæ uxori alligatus est, ita ut probabilis etiam invalida sit, talis sine licentia Papæ facta professio, cum Deus non videatur talem professionem, Ecclesiæ repugnantem, acceptare.

Secundò, si parentes in extrema, aut gravi necessitate sint constituti, non potest filius ingredi religionem, aut in ea profiteri, nisi parentibus priùs provisum sit de necessaria sustentatione, cum obligatio filij ad sustentandos parentes in tali necessitate constitutos, sit juris naturalis, contra omnem liberam devotionem obligantis: ob quàm rationem etiam parentibus non licet ingredi religionem, aut in ea profiteri, nisi liberis

indigentibus priùs de sustentatione congruè consultum sit.

Tertiò non possunt ingredi religionem, aut in ea profiteri servi (proprie dicti, vel originarii, & adscriptitij) sine consensu, & licentia domini, ita ut si sine licentia domini tale quid attentaverint, repeti ab eo intra triennium poterunt, & ei, cum omnibus suis, quæ ad monasterium v. g. attulerunt, restituendi sint, fide tamen accepta, quòd à domino propterea non sint puniendi; vel si per triennium repetitus à domino non sit servus talis, non possit quidem post triennium repeti amplius, etiam si professionem nondum fecerit; quæ tamen servus (proprie dictus) ad monasterium attulit, domino sunt restituenda, prout sumitur ex *can. si quis. 3. caus. 17. q. 2. junct. gloss. finali.* tum quòd in tali casu ob favorem religionis, in ingressum sui servi videatur consentire dominus, tum quòd lucra talis servi domino competant.

Quartò admitti non debent ad religionem, aut professionem, qui debitum ex justitia obligati sunt, antequam sua debita dissolverint, vel ad illorum solutionem legitimè caverint; si tamen alterutrum præstare possint, aut spes probabilis sit, quòd intra paucos annos præstare hæc possint, si in seculo maneant, ut ne scilicet aut creditoribus injuria fiat, aut si spes probabilis non sit, quòd intra paucos annos præstare hæc possint, si in seculo manserint, à via perfectionis arripienda illi frustra impediuntur.

Quintò non possunt spectato jure communi ad religionem ingredi, aut in ea profiteri, qui ad publica ratiocinia ob-

D d d 3

ligan-

ligantur, donec rationes reddiderint; qui sunt excommunicati, qui simoniace profitentur, qui verbis, vel alio impedimento contra substantiam ordinis impediuntur.

§. VI.

Ad quos spectet potestas admittendi novitios ad professionem.

Spectato jure communi Abbatem, seu Prælatum religionis immediatum, & mediatum etiam superiorem, Generalem v. g. aut Episcopum in ordinibus non exemptis, Abbatissas in monasterijs monialium, & simul ad conventum illius loci, pertinet admissio talis, ita ut non tantum consilium capituli ad validam receptionem requiratur, sed consensus etiam saltem majoris partis (nisi peculiaris ordinis statuta, aut recepta consuetudo aliud jubeat) prout colligitur etiam ex *c. ea, qua. 6. de his qua fiunt à Prælo*, quia agitur in tali casu de re, capituli bonum, vel præjudicium concernente; in eo casu tamen, quo ad Prælatum, & Capitulum simul talis admissio pertinet, potest, vacante sede, solum Capitulum ad professionem admittere, prout statuitur in *c. fin. h. t. in 6.* non autem, si ad solum Prælatum admissio pertinet.

§. VII.

De effectibus valida professionis.

Valida professionis primus effectus est, quod dirimat matrimonium post contrahendum, & etiam antea contractum, nondum tamen consummatum, de quo infra.

Secundus effectus est, quod nonnisi quam divortium inter conjuges quoad cohabitationem, & thorum, permitti possit, si vel ingredi religionem uterque velit, vel altero ingrediente, alter votum continentiae facere velit, prout colligitur ex *c. veniens 9. h. t. & pluribus infra* dicitur.

Tertius effectus est, quod per professionem in religione quacunque approbata factam, tollatur prius votum simplex ingrediendi certam religionem, & in ea profitendi. *c. qui post 5. h. t. in 6.* quia minus vinculum, votum scilicet simplex de ingrediendo religionem certam, tollitur per fortius vinculum superveniens per professionem scilicet in religione approbata factam, sicuti simplex venditio, per alteram, cui traditio rei-venditæ annexa est, tollitur, & sicut sponsalia de futuro dissolvuntur, per sponsalia de presenti: peccat tamen talis, si sine rationabili causa votum suum de profitendo v. g. in strictiore religione non servavit, profitendo in religione laxiore.

Quartus effectus est, quod per professionem religiosam tollatur patria potestas, non quidem in damnum, sed commodum religiosi, cum hic per professionem se totum tradat religioni, in cujus potestatem transit) tollantur omnia vota, & juramenta prius edita *c. 4. de voto.* tollatur irregularitas, ex defectu natalium, non quidem in ordine ad Prælaturas, aut beneficia curata, sed in ordine ad sacros ordines suscipiendos; tollatur macula, seu inhabilitas ad actus quosdam civiles &c.

§. VIII.

§. VIII.

De indissolubilitate professionis religiosæ.

Indissolubilem esse professionem religiosam tam ex parte profitentis, quam ex parte religionis, in qua quis proficitur, ex dictis jam patet, ita ut nec solâ voluntate profitentis, nec ex sola dispositione religionis, nec ex mutuo consensu tam profitentis, quam religionis dissolvi possit quoad vinculum: potest tamen Pontifex per legitimam dispensationem relaxare vinculum professionis, ut postea religiosus amplius non sit, nec ullis votis ligatus, qui prius per professionem religiosam ligatus votis fuerat, ob universalissimam concessam potestatem ex DEI nomine solvendi omnia, quæ per publicam potestatem à Christo solvi prohibita non sunt; sicuti non est prohibita absolutè professionis religiosæ relaxatio; neque tamen per promotionem religiosi ad Episcopatum auctoritate Pontificis factam, vinculum religiosæ professionis dissolvitur, quia status hi inter se non repugnant quoad substantialia, sed potius se mutuo juvant, ita tamen, ut talis religiosus ad Episcopatum assumptus, ex voto obedientiæ jam Summo Pontifici specialiter obligatus sit, tamquam supremo sui etiam ordinis capiti; & ex voto paupertatis jam non monasterio, ex quo exemptus est, sed suæ Ecclesiæ acquirat; & quamvis à regularum sui ordinis observatione solutus sit talis Episcopus, dignitatem tamen Episcopalem non dedecet, sui ordinis observationes servare, in quantum sine præjudicio fieri potest.

§. IX.

An is, qui invalidè professus est, teneatur ratificare professionem; & quæ requirantur ad ratificationem professionis invalida?

Qui invalidè professus est, impedimentum tamen irritans professionem in foro externo probare non potest, non tenetur ratificare invalidè à se factam professionem, sive bonâ, sive malâ fide invalidè sit professus, ob arduum scilicet statum religiosi, qui spontaneum plenè, ac liberum consensum requirit: ob præsumptionem tamen spontanei consensûs, si impedimentum irritans probari non possit, cogi poterit in foro externo ad observationem professionis talis.

Quod si tamen ratificare velit, invalidam suam professionem, requiritur primò, ut ratificans sciat professionem à se factam irritam fuisse (quia incogniti nulla est voluntas) nisi expressè apud se statuat, quod professionem suam, si invalida fuisset ab initio, hinc & nunc validare velit. Secundò requiritur novus consensus tacitus vel expressus, per quem professio invalidè emissâ ratificetur, cum sit nova professio. Tertiò requiritur, nova etiam acceptatio Prælati regularis, conscij nullitatis prioris professionis, cum enim professio sit contractus mutuus, & reciprocus, tam religionem, quam profitentem obligans, consequenter, sicuti requiritur nova traditio ex parte profitentis, ita etiam nova requiritur admissio, ex parte religionis: quæ sententia, quamvis tutior, & probabilior sit, non tamen deest contrariæ etiam

etiam sententia, quæ hanc novam acceptationem non requirit, sua probabilitas fundata in *c. significatum 11. h. t. & inc. 1. eodem in 6.*

§. X.

De jure seu facultate reclamandi adversus professionem invalidam.

Quod regulares, & quidem omnes, tam mares, quam foeminae, etiam militarium ordinum, reclamare possint contra nullitatem suæ professionis, ex *Tridentino sess. 25. de regularibus cap. 19.* patet, & ex plenaria libertate ad professionem requisitâ probatur, ita tamen, ut juxta Tridentini decretum, loco cit. relatum, certæ conditiones requirantur, ad legitimam reclamationem; primò scilicet, ut ante reclamationem habitum non deponat, qui reclamare vult contra professionem suam invalidam; neque cum habitu discedat, sine licentia suorum superiorum, nisi justa causa alterutrum suadeat, tanquam necessarium ad reclamandum, aut habitus ad tempus aliquod dimissus, iterum ante reclamationem fuisset assumptus. 2. requiritur, ut coram suo superiore (immediato scilicet Prælo regulari, qui professionem ejus admisit, vel coram ejus successore) & Ordinario (Episcopo scilicet diocesis illius, in qua situm est monasterium reclamantis) aut Vicario Generali, vel Capitulo cathedrali, (in casu vacantis sedis) causas nullitatis suæ professionis deducat. 3. requiritur, ut reclamationis talis fiat intra quinquennium, à die professionis numerandum, nisi justa ignorantia nullitatis, aut aliud impedimentum à reclamando rationabiliter im-

pediens, quinquennium hoc non tam à tempore professionis factæ, prout per se quidem fieri deberet, quam à tempore cessantis ignorantia, aut impedimenti, inchoari juberet, prout probabilior sententia docet, si tamen hanc ignorantiam, aut impedimentum prius intervenisse, neque suam irritam professionem se ratificasse, probet, post quinquennium à die professionis elapsam reclamans. Causæ autem, ob quas reclamari potest dicto modo de professione nulla, sunt plerumque, quod in amentia, aut ex rationis defectu professus sit aliquis; quod fuerit professus ante legitimam ætatem, ante annum noviatûs absolutum; quod metu gravi injustè incusso ad extorquendam professionem, vel per vim fuerit coactus profiteri; quod in monasterio diversæ sexus fuerit professus, vel non coram legitimo superiore &c.

SECTIO IV.

De facultate transeundi ex una religione ad aliam.

§. I.

An possit professus seu religiosus transire ab una religione ad aliam, & qua conditione requirantur ad legitimum transitum ad aliam religionem?

TEmerè non potest religiosus à monasterio, in quo professus est, ad aliud transire, si ejusdem, si alterius ordinis sit, si laxioris, si æqualis, si strictioris ordinis sit, prout statutum est in *c. 10.*